

QVANTVM
LITERAE IN VITA HOMINVM VALEANT

D I S S E R I T

E T A D

DECLAMATIONES VIII.

D. XXV. APRIL. A. MDCCXCIII. HORA III.
POMERIDIANA

AVDIENDAS

OMNES LITERARVM PATRONOS ET
FAVTORES

HVMANISSIME INVITAT

M. IOANNES GODOFREDVS SCHAEFER,

RECTOR SCHOLAE NEOSTADIENSIS
AD DRES DAM.



DRESDAE,

TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.

//.

Encycl.

118, 28.

QUINTUM

LITTERAE IN VITA HOMINUM VULNERAT

DISSEPT

1773

DECOLAMATIONES VIII

A VITA VITAE A PROPOHUSI VITAE

COMPTIBUS

1773

OMNES LITTERARVM PATRONOS ET

PATRONOS

UNIVERSITATE IMPERIALI


M. JOHANNES GODOFREDUS SCHNEIDER

LECTOR SCHOLAE UNIVERSITATIS

AD DRESDEN

DRESDEN

TYPIBUS CIVILIBUS HARTZKE



In maximis bonarum artium commodis, quibus respublica cumulatur, illud mihi singulare videtur, quod in vitam hominum redundat. Per literas enim omnis vita praecipue in capeffendo augendoque animi cultu collocatur. Vis animi fita est in virtute, quae vel morum decus respicit, vel mentis. Altera mores ad omne genus officii conformat: altera vero intelligentia sapientiaque mentem instruit. Vtraque virtus hominem ratione praeditum decet, sed vtraque simul animi cultum desiderat. Virtus moralis eum requirit animi habitum, in quo ratio praesit, appetitus obtemperet: in cuius ordinis conservatione omnis bene beateque vivendi modus continetur. Tanta vero res a quonam rectius vel cognosci vel administrari potest, quam ab homine, literis adiuto, cuius vita omnis in boni actione versatur, quod vero sine cultu rationis fieri nequit? Virtus autem, quae mentem respicit, eum postulat animi statum, in quo cognitioni sit locus, errori nullus. Naturali enim cupiditate tenemur cognitionis et scientiae, in qua excellere, pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. Sed perspicientia veri latissime per tot scientiarum artiumque bonarum studium est diffusa, cum nulum sit ingenuae culturae genus, quin veri inquisitione vtatur. Itaque quicquid tractatur, sive ad sciendum sive ad agendum pertineat, quod habere cognitum velimus, indagationi veritatis omnino tribuendum est, et haec, si per tot disciplinarum genera bene processerit, ipsam rerum scientiam, cuius causa verum exquiritur, parit, fructumque affert homini optabilem omnino ad bene beateque vivendum. Namque animus, literarum studiis imbutus, plane intelligit, quid aequum, quid iniquum sit, quid utile, quid honestum, quae pulchritudo virtutis, quae sapientiae dignitas ac praestantia: hinc autem sensim ad virtutem ipsam se totus sapientiamque conformat. Quamobrem fieri videmus, vt, quantum homines literis et doctrina praestant, tantum consilio, grauitate, modestia ceterisque virtutibus praestare soleant.



Emolumenta ex literis vberissima maxime in cultum vitae communis deriuantur, quia hanc humanitate ac scientia, societati humanae utili, excolunt. Quod si quis addubitat, conferat modo barbariae feritatem cum mansuetudine totius orbis humanioris. Constat autem vitae cultus humanitate, modestia, verecundia, temperantia omniumque studio virtutum, ac omnium artium praestantium, quibus hominum vsus, consuetudo et confociatio instruitur, regitur atque expolitur. Suntne vero haec aliunde, quam ab artibus liberalibus, profecta? Dicat pro his omnis omnium gentium politiorum historia vetus perinde ac nova, quae rudia populorum saecula ab eruditioribus distinguere solet. Ea quidem re hoc agit, vt mirificam literarum vim in omnem vitam humanam, multis modis emendandam, ostendat. Aetatibus enim, literarum rudibus, feram agrestemque vitam tribuit, eruditioribus doctrinam, qua ciues informentur ad honesti decorique curam atque excolantur. Quantum literae in vita hominum valeant, poëtae fabulis, pulcherrime fictis, non obscure adumbrarunt, Orphei praesertim, quem dulcedine lyrae non modo syluas et saxa ad se trahere, sed etiam feras immites et flumina cantu delinire finxerunt. At vero non ille syluas, sed sylvarum incolas, vi et suauitate loquendi traxit: non saxa, sed dura hominum pectora, molliuit: non feras, sed efferos hominum mores mitigauit: postremo non flumina, sed iuuenes, in omnem voluptatem defluentes, continuit. Sic abducti ab agris et syluis homines, fera agrestisque vita mutata, leges rogatae, iura iudiciaque descripta sapientis videlicet viri doctrina atque eloquentia. Enimvero nullus ab rerum humanarum initiis populus fuit, in quo non subinde, primis maxime cuiusque temporibus, extiterint, qui literarum auxilio et vtilis suis et admirabiles essent, qui ciuitates suas legibus, moribus, disciplina pulcherrime constituerent, aut inuentis aliis, publice priuatimque fructuosas, patriam atque humanum adeo genus auferent. Sic ille Nestor, cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio, Pyliis imperasse dicitur: Sic Euander in Latio imperium tenuit auctoritate, quam sibi apud rudes populos admiratione literarum conciliauit: sic denique Numa Romanis leges praescripsit, singularis sapientiae fama et Egeriae Deae colloquio celebratus. Inde omnes optime institutae ciuitates, omnes liberi populi, omnes praeclarae respublicae semper apud se doctissimos viros habere studuerunt, quos de politicis rebus, de oeconomicis, de legibus, de iudiciis ac de omni ciuili scientia consulere. In his fuere Solon, Lycurgus aliique plurimi, qui sanctissimis legibus et in-

stitutis

stituti ciues suos sapientissime gubernarunt. Neque solum viui atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent, sed hoc etiam post mortem monumentis literarum assequuntur, quorum studia vitaque omnis in liberali institutione versatur. Nam non modo res, ab se inuentas, quae vitae honestae dignitatem augeant, in commentarios referunt, sed etiam aliorum studio elaboratas et eorum dictis factisque ornatas conquirunt, in lucem proferunt, doctrinis illustrant: quae omnes in tenebris iacerent sepultae, nisi ab his multo labore vndique excuterentur, commode disponerentur et in communi vitae consuetudine adhiberentur.

Quid vero in omni hominum vita optabilius est, sincera animi tranquillitate? Et haec literis, tanquam firmissimis praesidiis et quasi subsidiariis copiis, instruitur. Habet nouercalis fortunae malignitas, quo laceffat hominum quietem, et conturbet animos atque affligat. Nam securos varietate sua opprimit, opibus confisos vi sua percellit, quantoque plus aufert rerum secundarum, tanto grauiores affert perturbationes. At vero, qui literarum studio tenetur, fortunae mobilitatem non solum videt, sed ex suis etiam causis eam nouit, eandemque ad rerum humanarum imbecillitatem refert. Mature igitur firma praesidia circumspicit, quibus aduersus fortunam se muniat, crebrasque rerum vicissitudines mente contemplatus, comparat animum ad ea, quae possint euenire, placide ferenda. Multo autem crebrius, quam fortuna, multoque vehementius animos commouere solent cupiditates, in eis excitatae. Namque hae, velut furiae, taedis ardentibus armatae, mentem, rationis sedem obsident, eamque, motibus turbidis exagitata, in diuersas rapiunt partes, et in omne flagitiorum genus praecipitem agunt. Sed hic non tenuem aut vulgarem reportant literae triumphum, quae cupiditatum omnium restringendarum rationem ac modum demonstrant, animum ad virtutis studium praeceptis suis institutisque adducunt, vitam denique omnem tranquillitate imbuunt. Etenim ne grauis animi tempestas cooriatur, omni disciplinarum genere excultus hoc maximae sibi curae habet, vt se norit, eaque sui cognitione admonitus, animaduertit, sui regundi scientia diligentiaque nihil sibi esse antiquius oportere. Inde rerum causas enitat, quibus animi procellae concitentur, et, procul a malefanis cupiditatibus scelerumque tumultu semotus, in placidissima statione quiescit, quia intra se reperit frenum, quod cupiditatibus iniiciat, reperit firmamentum, quo aequitatem animi muniat, ne quo casu infesto per-



culsa opprimatur. Sic e literarum sinu tantum quietis ac tranquillitatis haurit, vt asperrima quaeque aequissimo animo tolerare, caecasque cupiditates longe fugare atque dispellere queat.

Cum nullus fit dubitandi locus, quin optimus quisque immortalitatis studio ducatur, quid igitur magno et praeclaro viro dignius, spe immortalitatis, inter mortales consequendae? Namque nominis sui memoriam non cum vitae tempore dimittere, sed cum omni posteritate adaequare, haec est nominis immortalitas, haec ingenii virtutumque fama, qua mortui velut viui, absentes quasi praesentes, celebramur. Optimus quisque ad hunc honorem naturali quodam impetu trahitur, sed vbinam vel pulchrius, vel stabilius, prodendae memoriae praesidium reperiat, quam in subsidiis literarum? Hae continent monumenta ingenii, literis consignata, quae longe vel firmiora, vel ad perpetuitatem stabiliora sunt, quam ceterarum artium ornamenta. In his adhuc viuunt, semperque viuent, qui singulari sapientia et incredibili virtute ceteris praestant, atque haec, vbi nihil corporis superest, vera eorum vita existit, quae non caduco spiritu producit, breuique dissipatur, sed longis aetatum spatiis extenta, monumentis literarum aeternitatem suam tuetur. Itaque viri, summis ingenii luminibus illustrati, mortui fere magis, quam viui exsplendescunt. Viuorum enim admirationi inuidia plerumque obstat. Sed cum ex hominum conspectu morte decesserint, tunc horum memoriae, ne sempiterna obliuione deleatur, subueniunt literati, qui res gestas illustriorum virorum ad gratam posterorum memoriam traducere, summo studio ac voluntate contendunt.

Nihil denique viris, qui rebus gerendis praesunt, ad reipublicae vires ac robur stabiliendum vtilius esse potest, quam literae. Etenim is solus, qui praestantissimis sapientiae praeceptis mentem excoluerit, populum, curae et administrationi suae commissum, bene et prudenter gubernabit, eiusque utilitati ac commodis recte consulat. Quare cordatiores ex his parum se putant idoneos ad ciuitatum regendarum gubernacula, nisi auxiliares sapientia manus viresque conferret. Optimum fuerit, audire C I C E R O N E M, virum haud dubie sapientissimum, et illarum, quas commendamus, literarum peritissimum. Is vero ad ornandam rem publicam, sapientissimorum virorum monumentis atque praeceptis, plurimo doctrinae studio atque etiam vsu rerum instructum, se accessisse, docet, historicorum, poëtarum et oratorum monumenta intelligens, quorum exempla et praecepta
sibi

sibi in vita publice priuatimque profuisse, in *Oratione pro Archia poëta* demonstrat. Atque etiam illi, quos aut merita sua, aut alta generis nobilitas, et praecipuus natalium splendor in altiori dignitatis et fortunae gradu collocavit, in ipsa rerum administratione praesidia loci sui tuendi a literarum scientia repetunt. Nulla enim vitae pars, nullum quaestionis ullius, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus est genus, quin literis sit explicatum. Imo etiam, laboribus fessi, leuamenta taediorum, fomenta curarum in studiis quaerunt, quibus reficiant vires, recreatique acrius partes suas agant. Plinius quidem Romae praecipua cum dignitate viuit, sed, dum amplissimis fungitur honoribus, molestiis conteritur, et, quot in vrbe dies frigidis rebus absumferit, intelligit demum in Laurentino suo. *) Hic occupationibus relaxatus abdit se in bibliothecam, inuoluit se literis, scribit, legit, otioque delectatur. Sic omnis vitae, suauius degendae, instrumentum ponit in literarum studiis. *Et gaudium mihi, inquit, et solatium in literis, nihilque tam laetum, quod his laetius, nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. **)* Quid autem est in vitae solatiis, quod ornatissimi viri sibi potissimum deligant, si iam magno natu debilitati aetatis vacatione frui velint, qua vitam bene actam iucundius finiant? In literarum studiis acquiescunt, quae senectutem oblectant. Has ad literas ex multis vitae molestiis confugiunt, quasi ex turbida tempestate in placidum securumque portum. Literarum enim studia continent ipsa virtutum studia exercitationesque, quibus, in omni aetate cultis, cum multum diuque vixerint, vberissimi respondent fructus maximumque vitae anteaetae decus et ornamentum.

Quorum haec disputo? vt iuuenes intelligant, quos potissimum haec spectat Prolusio, quot praesentissimis commodis literae eos in omni vita afficiant, si modo eas cupidissime tractare vellent. Id quod secum reputarunt octo iuuenes, industriae et probitatis laude florentissimi, qui doctrinae, quam hucusque collegerunt, specimen edere volunt. Hunc autem in publicum prodeuntes ordinem seruabunt:

I. IOANNES GOTTLIEB FRIEDE, *Dresdensis*, de *imperfectiōne humanae cognitionis* idiomate vernaculo dicet.

II.

*) Plin. L. I. Ep. 9. **) Id. L. VIII. Ep. 19.

II. CAROLVS HENRICVS TEICHMANN, *Dresdensis*, *quomodo alternas vitae humanae vices solemur*, filo Romano ostendet.

III. FRIDERICVS ADOLPHVS BVSCHMANN, *Goernizensis*, *affectus moderandos esse*, sermone patrio euincet.

IV. CAROLVS AVGVSTVS SCHAEFER, *Dresdensis*, *de literarum utilitate* carmen elegiacum recitabit.

V. LEBERECHE GVLIELMVS AVGVSTVS MITTELHAEV-
SER, *Dresdensis*, *arctissimam literarum necessitudinem* oratione latina comprobabit.

VI. GOTTLOR HENRICVS KRETZSCHMAR, *Radebergensis*, *de pretio literarum recte aestimando* eodem dicendi genere declamabit.

VII. CAROLVS FÜRCHTEGOTT MEISSNER, *Laubanensis*, *de laudis et famae studio* lingua vernacula exponet.

VIII. CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHNABEL, *Dresdensis*, *cur libenter homines id, quod velint, credant*, sermone latino disquiret.

LITERARVM itaque MAECENATES, VINDICES ET STATORES, inprimis MAGNIFICVM SVMMEQVE REVERENDVM EPHORVM, SPLENDIDISSIMVM AMPLISSIMVMQVE SENATVM, PLVRIMVM REVERENDOS VERBI DIVINI MINISTROS, CLARISSIMOS SCHOLARVM DOCTORES, *et qui exercitationibus scholasticis fauent*, omnes ac singulos, quanta possum, animi religione rogo oroque, vt cras, *hora tertia pomeruliana* conatum iuuenum declamatorum exoptatissima SVA praesentia cohonestent. Iuuenibus vero a nobis discedentibus, quorum primus ordine ad officium, vitae suae instituto dignum, extra patriam admittetur, secundus autem, iurisprudentiae operam daturus, in academiam contendit, ex animo comprecor, vt illis hoc ipsum beatissimae vitae genus, quod ex literarum dulcedine degustatur, experiri aliquando liceat. Scrib. in schola Neostadiensis ad Dresdam a. d. VIII. Cal. Maii a. MDCCXCIII.

—————